

Exemplum sume istud: Norinberga habet gradus longitudinis 31 mi. 30. latitudinis uero gradus 49, mi. 0. Drusomagus rhetiæ tenet gradus longitudinis 31, mi. 30 cum Norinberga, sed latitudinis gradus 46 minuta. Hæ enim ciuitates æquantur in longitudine, id est, sunt sub uno meridiano, & distant æqualiter ab occidente, sed differunt latitudine per gradus 2 minu. 55, ut eorum numeri latitudinum demonstrant. Hanc differentiam si multiplicas per 15, ut sic, multiplica primo gradus 2 differentiæ latitudinum per 15, & produces 30 miliaria germanica communia, deinde multiplica etiam minuta differentiæ latitudinum 55, & produces 825 minuta, quarum 60 unum miliare constituunt, quare diuido 825 minuta per 60, & proueniunt 13 miliaria communia cum 45 minutis, id est $\frac{3}{4}$ unius miliaris etiam dimissa multiplicatione minorum 55 differentiæ, accipe pro quibuslibet 4 minutis differentiæ unum miliare, & prodeunt miliaria, ut prius 13 cum $\frac{3}{4}$ unius miliaris, adde nunc singula singulis, & reperiēs miliaria germanica communia $43\frac{3}{4}$ ferè.

Distantiam itinerariam duorum locorum longitudine tantummodo differentium uia Arithmetica inuestigare.

Italium locorum intercapedinē itineris uis, intra tabulam proportionū singulorum parallelorum &c. cum latitudine locorum, eandem quærendo in primo ordine numerorum ad leuam sub titulo, gradus parallelorum &c. & differentiam graduum longitudinum eorum locorum, quare in fronte tabulæ, in cuius serie descende ad usq; gradum latitudinis ad leuam repertum, Vbicumq; enim hij duo numeri tam longitudinum differentia quam latitudinis gradus in area tabulæ ad modum gnomonis angulum cauauerint, id est, in angulo communi amborum numerorum, reperiēs numerum graduum & minorum &c. qui debetur tali differentiæ longitudinum in proposito parallelo latitudinis conuersum uel reductum in gradus & minuta æquatoris. Hos gradus & minuta conuersos multiplica per 15 miliaria germanica, similiter & minuta &c. per 15 multiplicando, quorum demum 60 unum miliare germanicum constituunt, sicut, in præcedenti accepisti, & habebis distantiam itinerariam. Ut exemplo accipias: Sit differentia longitudinum gra. 30, inter Toletum & Neapolim, & sit latitudo amborum locorum graduum 41 intro tabulam proportionum singulorum parallelorum cum latitudine proposita 41, & cum 30 gra. differentie scilicet longitudinum in fronte tabulæ ex eorum directo reperio in angulo communi gradus 22, minuta 38, secunda 32, conuersos siue reductos. Hos multiplico, ut supra per 15 similiter & minuta, & si uis etiam secunda per quindecim multiplico, & inuenio miliaria germanica 339, mi. 38, quarum 60 unum miliare constituunt. Si autem minuta adhererent gradibus differentiæ longitudinum, oporteret intrare tabulam duplici introitu pro parte proportionali inuenienda, sicut in principio huius determinatum est, cuius operationis exemplum etiam in sequenti propositione cum de distantijs locorum agetur, quæ longitudine & latitudine differunt, demonstrabo.

Distantiam itinerariam duorum locorum, simul longitudine & latitudine differentium Arithmetica supputatione addiscere.

Extrahetur primum differentia longitudinum, & etiam differentia latitudinum duorum locorum, quorum distantiam uiatoriam quæris, & quamlibet per se notabis ad partem. Deinde de differentia latitudinum accipiatur medietas, quæ aut latitudini minori unius loci propo-